Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

# Io. Rvdolph. Engav Ivrivm D. & P.P.O. In Academia Ienensi Elementa Ivris Criminalis Germanico-Carolini

Engau, Johann Rudolph

Jenae, MDCCXLVIII.

VD18 12413879

Tit. VI. De Processv Inqvisitorio & speciatim De Corpore Delicti Investigando.

urn:nbn:de:gbv:45:1-10011

Visual Library

## *TIT. VI.*
## DE PROCESSV INQVISITORIO
## & ſpeciatim DE
## CORPORE DELICTI INVESTIGANDO.

### §. LXXI.

Proceſſus inquiſitorii natales &

Olim ualebat regula: Wo kein Kläger, da kein Richter *t*). Proceſſus inquiſitorius, quem a clericis receptum uſu ſeruari noluerunt Henricus III. IV. *u*) aliique *x*), contra adhiberi uoluit Lotharius, ut eccleſiæ eo facilius & celerius recuperarent res furto amiſſas *y*), ſubſequentibus temporibus eſt mox probatus mox reprobatus *z*), mox in paucis mox in omnibus atrocioribus criminibus admiſſus *a*).

### §. LXXII.

forma.

Ordo ſolemnis, quem iudex inquiſiturus ſeruare debet, hic eſt: (1) Quamprimum ei innoteſcit delictum aliquod (lib. I. §. XIV.), idque, quod uel capitali uel

*t*) *Capitul.* VII, 359.

*u*) LVNIG *ſpicil. eccleſ.* II, 272. 278.

*x*) *Apol. Colon. Elect.* pag. 31.

*y*) THOMASII d. *de orig. proc. inq.* §. 54.

*z*) *I. P. S.* I, 62.

*a*) KRESS ad C. C. art. 6. §. 5. 6. Ill. BOEHMER *I. E. P.* V, 1, 86.

uel corporali pœna coerceri iubent leges, commiſſum eſſe, (2) in illius* *corpus*, & (3) *auctorem* inquirere, atque (4) *indiciis* legitimis grauatum *carceri* mancipare, & (5) primum *ſummarie* (6) dein ad *articulos* rogare debet. Quod ſi reus delictum neget, iudicis eſt (7) conquirere *teſtes*, eosque (8) cum reo negante *committere*; (9) reum criminis quodammodo conuictum diris *quæſtionibus* ſubiicere, ac (10) defenſum, prout leges & facti circumſtantiæ ferunt, uel condemnare uel abſoluere.

* Dummodo non ſit (a) *furtum* a coniuge aut herede proximo commiſſum, uel (b) *adulterium*. In his enim delictis querela læſi expectanda eſt. C. C. art. 165. 120.

## §. LXXIII.

Delictum commiſſum eſſe, iudici innoteſcit uario modo. Præſertim illud uel *fama* fert *b*), uel *queritur* læſus, uel *denunciat* alius *c*), uel *præſumtiones* loquuntur. Iudex, cui delictum innotuit

* Per ſcriptum denuntiantis cautio hæc eſt, ut ne petat, ſed iudici committat, uindictam criminis.

## §. LXXIV.

Nullum uero niſi illud iudici in notitiam legitime uenisse dicitur, cuius corpus inueſtigandi ſimul oblata eſt occaſio. legitime,

X 5 §. LXXV.

*b*) BECHMANNI d. *de fama*. *c*) WILLENBERG *de denuntiat. crimin.*

Landesbibliothek Oldenburg

## §. LXXV.

illius corpus inueſtigare debet.

Inueſtigatio corporis delicti, quam fundamentum totius inquiſitionis habeo *d*), fit uel *ad ſenſum* * uel *ad intellectum* prout aliquod aut nullum ueſtigium delicti commiſſi ſupereſt *e*).

* Non magni æſtimo diſtinctionem illam magiſterialem, qua delicta uel *facti permanentis* uel *facti tranſeuntis* dicuntur eſſe. HEIL *iud. & defenſ. in proc. inquiſ.* c. 1. §. 3. HAHN d. *de corp. del.* §. 62. Eiusdem nominis enim delictum mox ad ſenſum mox ad intellectum poteſt inueſtigari.

## §. LXXVI.

Quomodo ad ſenſum inueſtigetur corpus

Corporis delicti ad ſenſum inueſtigatio debet (1) quam celerrime *f*) (2) a iudice * loci, quo res uel perſona eſt delictum commiſſum ſignificatura *g*), (3) præſente actuario, & (4) ſumtibus publicis fieri. Si iudex rem ipſe non intelligat, aut intelligere non uideatur legibus, (5) *peritos in arte* ** eosque iuratos, atque (6) ſi præter ueritatem delicti, & qualitas, hoc capitale reddens, inueſtiganda, *ſcabinos* adſciſcere debet.

* Etiam ciuili, quoties *delictum* tantum, non *illius qualitas*, criminalem pœnam ferens, inueſtigatur.

** Qui

*d*) OLDEKOP *tit.* 2. *obſ. crim.* 8.

*e*) LVDOVICI Einleitung zum peinlichen Proceſs c. 1. §. 12. ſeq.

*f*) HEIL c. l. §. 5.

*g*) LEYSER *ſpec.* LXXIV. m. 9.

Landesbibliothek Oldenburg

** Qui ubi inter ſe diſſentiunt, iudex ſententiam mitiorem ſequitur, ſi diſſenſus tolli nequeat.

## §. LXXVII.

De corpore FVRTI conſtat, ſtatim atque paret, res eo in loco, quo breui ante tempore fuerunt, citra cauſam & factum domini non amplius adeſſe. *Qualitatem furti* ſignificant fracta oſtia, adpoſitæ ſcalæ, uulnera furtum paſſi, *magnitudinem* uero, rerum ablatarum deſignatio & æſtimatio. Vtraque ſpecifice *h*) a iuratis *i*), & illa quidem ab ipſo læſo, hæc uero, prout res furto ſurreptæ extant, aut non extant, uel a peritis in arte uel a læſo fieri debet, addita ratione, cur tanti æſtimentur. Vnde corpus furti magni dubium eſt, quando (1) de rei ablatæ æſtimatione læſus, quod nolit uel ob mortem aliamue cauſam nequeat, iurato non deponit, aut ita quidem deponit, ſed dubius, dum quod ad pondus, menſuram, numerum & bonitatem rerum ablatarum uariat aut æſtimationis ſuæ nullam rationem reddit; itidem (b) quando taxatores de rei ablatæ pretio non conueniunt, aut conueniunt quidem, ſed ſunt iniurati, ſuſpecti, ratione æſtimationis deſtituti &c. furti,

§. LXXVIII.

*h*) MYLIVS ad BEYERVM p. 318. poſ. 49.
*i*) CARPZOV *pr. cr.* q. 78. nr. 55. 64. BERGER *El. Iuriſpr. cr.* c. 2. m. 1. §. 8.

§. LXXVIII.

delictorum carnis, ſpeciatim

Corpus DELICTORVM CARNIS nonniſi ex utriusque partis confeſſione de immiſſo ſemine plerique colligunt Dd. *k*). Non autem eſt, cur (1) teſtis uiuus & alia argumenta, ipſa confeſſione ſæpe fortiora, negligantur, atque (2) delinquens confeſſus & conuictus dimittatur, ubi alterius confeſſio uel natura uel facto hominis haberi nequit *l*). Hinc ICti Ienenſes & Halenſes de corpore delictorum carnis conſtare putant, ubi adeſt unius confeſſio certis & indubitatis indiciis ſtipata.

§. LXXIX.

ſtupri,

Corpus STVPRI iudex quandoque inueſtigat per peritas ac iuratas obſtetrices *m*), quarum eſt uidere: fracta ſit *uulua*, nec ne? Corpus ſtupri uiolenti quæſiturus, debet legere ſigna tam uiolentiæ in ſtupratæ, quam reſiſtentiæ in ſtupratoris, corpore.

§. LXXX.

homicidii,

Corpus HOMICIDII *alii* ex *tempore*, per quod adhuc uixit, *alii* ex copia *ſanguinis* quam profudit, *alii* ex *regimine* quod ſeruauit, & medicamentis quibus uſus eſt, uulneratus, colligere uolunt. Sed perperam agunt, hæc ad inſtar regu-

læ

*k*) BAVER *de ueritate criminis perpetrati, corpus delicti uocari ſolita, in adulterio,* pag. 245.

*l*) FROELICH p. II.

*m*) MOELLER *ad Conſt. Sax.* IV, 31. GRANZ *def. inq.* p. II. pag. 69.

læ uniuerſalis ponentes *n*). Etenim ſine *ſectione* cadaueris illud: num ex uulnere perierit læſus? diiudicari nequit *o*). Vnde Carolum V., qui ſolemnem ſectionem præcepit *p*), ſequuntur omnium fere prouinciarum leges. Scilicet iudex criminalis* debet, quam primum fieri poteſt (§. LXXVI.) *q*), ſcabinis (§. eod. 6.)** & actuario præſentibus cadauer *leuare* ***, & leuati membrum **** uulneratum per unum pluresue chirurgos (§. eod. 5.) † ad hunc actum legitime requiſitos *r*), ac iureiurando †† obſtrictos, accurate ††† *ſecare*. Secantes ad acta (1) ſtatim referunt (a) *uulnera* quæ deprehendunt, (b) adiecta eorum *forma*, *quantitate* & *qualitate;* (c) notant punctim an uero cæſim, & (d) quibus probabiliter *armis* ea illata fuerint *s*); (2) poſt paucos dies exhibent *uiſum repertum t*), quod Italis dicitur, addita regulariter, quæ claris certisque rationibus munitur *u*), epicriſi; num ex uul-

*n*) KLEIN d. *de diebus criticis* c. 2. 3. HOFFMANN d. *de læſion. extern.* obſ. 5. 7.

*o*) GERICKE *de neceſſaria uulneris inſpectione poſt homicidium.*

*p*) C. C. art. 149.

*q*) FELTMANN tr. *de cadau. inſpic.* c. 3. §. 7. ſeq. BARTH *hodeg. for.* c. V. §. 6.

*r*) ALBERTI *Iurispr. Med.* c. XVII. §. 15.

*s*) ID. c. l. §. 11.

*t*) FELTMANN c. l. c. 3. §. 1. & c. 54. HERT d. *de inſpect. ocul.* §. 16.

*u*) HOFFMANN c. d. *obſ.* 8. ſeq.

Landesbibliothek Oldenburg

uulnere mors ſecuta nec ne? Si uero de letalitate uulneris inter ſe diſſentiant, utriusque rationes ſeparatim expoſitæ ad extraneos mittuntur medicos (§. LXXVI. **) *x*).

* Iudex illius ſcilicet loci, ubi cadauer iacet (§. LXXVI, 2.), ſiue idem de cæde cogniturus ſit ſiue alius. Diſſentire quodammodo uidetur FELTMANN *de cadau. inſp.* c. 4. aſt praxis, immo ratio docet, remiſſioni nullum locum dari.

** In terris quibus hi deficiunt, eorum loco uel aliæ iudiciales perſonæ *Ord. prou. Goth.* p. III. c. 2. §. 11. uel præfectorum ſubofficiales adhibentur. *Reſcr. Brunſu. Luneb.* d. 29. Ian. 1727. apud PUFENDORFIUM *introd. in proc. crim.* c. VII. §. 11.

*** Si iam ſepultum fuerit, iterum effodiendum eſt FELTMAMN c. l. c. 61.

**** Quoad usque uiguit das Roth-Gericht, cadauer in iudicium deportandum erat. MEINDERS *de iudic. centen.* c. VI. § 23. p. 161.

† Hodie primario adhibentur medici academico gradu ornati. HERTII d. *de oculari inſp.* §. 28. 30. Sint religionis uel nationis, cuius uelint, FELTMANN c. l. c. 45. dummodo honeſti ID. c. l. c. 47. Iudex arceſſere nequit empyricos & chymicos ID. c. l. c. 46. aut tonſores, qui uulnera non intelliguut. ID. c. l. c. 48. Denique chirurgi, de quorum conſtat peritia, ſecundario tantum adhibentur, niſi nulla medici haberi queat copia CONRADI d. *de inſpectione cadaueris occiſi, a ſolis medicis peracta, uitioſa.*

†† Iuriſiurandi formulam uide app. nr. 2. A iureiurando præſtando immunes ſunt (1) *Phyſici,*

*x*) FELTMANN c. l. c. 43. §. 4. ſeq.

Landesbibliothek Oldenburg

*ſici* tam urbici quam prouinciales, qui tempore ſuſcepti muneris illud præſtiterunt iusiurandum, cuius uis ad omnes & ſingulos actus ſeſe extendit KRESS ad C. C. art. 149. nr. 3. FELTMANN c. l. c. 50 LVDOVICI Peinl. *Proc.* c. 1. §. 15. (2) Medicorum illi, qui *doctores* creati iurarunt de fide & diligentia in omnibus omnino ſectionum actibus adhibenda. STRYK *de iur. ſenſ.* diſſ. 1. c. 2. nr. 32. *Conſ. Hal.* To. I. lib. I. conſ. 9. n. 8.

††† Non eſt ſtylus immittendus, BOHN *de renunt. uulner.* p. II. VALENTINI *&. medicolegal.* p. II. ſect. 1. §. 5. 7. ſed pars uulnerata diſſecanda. WELSCH *de ration. uuln. letal. iudic.* c. 15.

## §. LXXXI.

Itaque corpus homicidii impugnaturo dantur (1) *ſectionis cadaueris* uel plane non* uel non ſolemnniter (§ pr.)** uel imprudenter (§. pr. †††) factæ *y*), (2) *uiſi reperti* nullam ueritatis ſpeciem habentis, (3) *diuerſi medicorum* de letalitate *iudicii*, aliæque exceptiones.

* In caſu, quo uulnus ſtatim mors ſecuta eſt, inter alios a nobis diſſentit WERNHER d. *de cerebr. cert. corp. del.* §. 35. ſeq. Equidem ſectionis actum tunc demum ſuperhaberi poſſe putarem, ſi quem telo letifero perculſum confoſſumue animam efflaſſe externe conſtat cuilibet, utſi gula laqueo fracta cultroue abſciſſa. PLAZ d. *An in homicidio ſectio & inſpectio cadaueris neceſſaria ſit?* §. 42. ſeq.

** In

*y*) CONRADI d. *occiſi a ſolis medicis per-de inſpectione cadaueris acta uitioſa.*

** In iudicio militari ſolemnitas minor eſt, dum ſcabini non requiruntur MYLIVS ad BEYER p. 285. poſ. 33. Sic quoque Norimbergæ iudice & ſcabinis abſentibus DANNREVTHER *Nem. Nor.* p. 56. ſeq. & quibusdam locis aliis ſolo actuario præſente, GRASS *collat. l. Ciu. Rom.* p. 927. legitima a chirurgis fieri poteſt ſectio.

## §. LXXXII.

infanticidii?

De *corpore infanticidii* certus eſt, cui de eo, quod partus uixerit, & ſine cauſa naturali perierit, nullum ſupereſt dubium. Vt uero omne dubium ceſſet, debent Medici & Chirurgi, quos iudex hic eodem modo quo in homicidio (§. LXXX.) adhibet, (1) cadauer iuſto & maturo tempore (§. LXXVI, 1.) accurate ſecare, & (a) attendere: num organa ſint integra, & funiculus umbilicalis conformatus? atque quantum ſanguinis ex hoc effluxerit? quæ qualitas ſecundinarum? adſit in hiatu rhomboideo, temporibus, cranio &c. ſugillatio uera cum liuore & ſanguine extrauaſato? &c. (b) interna conſpicere & uiſcera in thorace, abdomine & capite ſita probe conſiderare z); (2) quæ uitæ & mortis legerunt ueſtigia, iudici ſignificare, atque (3) quam de infanticidio commiſſo uel non commiſſo habent ſententiam, additis rationibus ferre.

§. LXXXIII.

z) b. TEICH. MEYER *Inſtit. medicinæ legal.* c. 24.

Landesbibliothek Oldenburg

## §. LXXXIII.

Quæ fides pulmoni natanti & ſubmergenti habenda?

Experimentum *pulmonum*, quo quidam corpus infanticidii inueſtigaturi utuntur *a*), fallax habeo ac illegitimum. Quia enim (1) in cauſa, cur natent pulmones, quandoque eſt putrefactio, quandoque aer inflatus, & ſic non ſemper aer inſpiratus, certum uitæ infantis nati ſignum eſſe nequit *pulmo natans*; & (2) ſi certum uitæ ſignum eſſet, tamen inde non conſtabit de infanticidio *b*); poteſt enim partus capite excluſus pulmones aere complere, & tamen ante excluſionem totius corporis ſine ulla matris uel alterius culpa ſuffocari. Sic quoque (3) *pulmo ſubſidens* infanticidium commiſſum non eſſe uix ſatis probat. Inter Phyſicos enim & Medicos conſtat, (a) quod non ſtatim a natiuitate quilibet partus reſpiret, ſicque facile contingere poſſit, ut morti tradatur ante primum anhelitum, quo pulmo ad natandum diſponitur *c*); (b) quod, ubi partus ſuffocatus eſt, aut (c) mater in aqua uel palude, quam intrauit parturiens, excluſit partum, pulmo nunquam natet, quum ceſſante reſpiratione non ſit explicatus *d*). Num hæc dubia,



*a*) SCHOEPFFERI d. *de pulmone infantis natante uel ſubmergente*, c. 1. nr. 3. ſeq.

*b*) IDEM c. d. c. 2. nr. 37.

*c*) HEIL *iud. & defenſ.* c. 1. §. 7.

*d*) IDEM c. d. c. 1. nr. 29. ſeq.

Landesbibliothek Oldenburg

bia, adhibitis cautionibus, quas commendat BEYER *e*), & ponderatis rationibus, quas tradit b. TEICHMEYER *f*), ad unum ceſſent omnia, diſquirant medici.

## §. LXXXIV.

Quid iudicis ſit, inueſtigaturi corpus procurati abortus,

De *procurati abortus* corpore quo conſtet, iudex quærit Medicos: num u. c. medicamentum*, quod adhibuit grauida, partum immaturum expellere potuerit, & reuera expulerit?

* Quæ medicamenta procurant abortum, uaria tradunt medici. V. b. TEICHMEYER c. l. c. X. qu. 3. Quod uero dentur pharmaca ſimpliciter & abſolute abortum procurantia, hodie negauit HOFFMANN c. d. obſ. 12.

## §. LXXXV.

ueneficii, &

Iudex corpus *ueneficii* cogniturus ex medicis iuratis, per quos inſpicit & ſecat cadauer (§. LXXX.), quærit: num homo ex ueneno propinato perierit *g*)? Hi, liuores in corpore, ſpumam in ore, corporis & unguium colorem &c. *h*)* attendentes, ferunt ſententiam rationibus firmatam. Vbi medici in diuerſas abeunt ſententias, quilibet ſuam epicriſin ſigillatim exhibet (§. eod. 2.).

* Signa

*e*) ad C. C. art. 33. poſ. 21. ſeq.

*f*) c. l. p. 23.. ſeq.

*g*) CARPZOV *pr. crim.* qu. 21. nr. 3. ſeq.

*h*) b. TEICHMEYER c. l. c. 20. q. 5. 7.

* Signa ueneni *ingeniti* tradit FELTMANN *de cadau. inſp.* c. 25. nr. 11. ſeq. *propinati* uero KAYSER *pr. crim.* p. m. 137. ſeq.

## §. LXXXVI.

Sic quoque iudex reliquorum delicto- rum u. c. *incendii*, *magiæ*, *falſi*, *falſæ monetæ* &c. ueſtigia legere debet. **reliquorum delictorum?**

## §. LXXXVII.

Quod ſi nulla ſuperſint ueſtigia, ad indicia & præſumtiones recurrendum eſt *i*) (§. LXXV.), quæ plerumque cum indiciis delinquentium coincidunt. Sic corpus ſtupri uiolenti inueſtigaturus, debet attendere (a) ſtupratoris & ſtupratæ *uitam* ante actam, *dignitatem*, *diuitias*, *robur*, atque (b) *proceritatem*, ubi ſtando delictum commiſſum dicitur; (c) ponderare: num remoto an propinquo *loco*, (d) ſemel an diuerſis temporibus concubuerint? (e) conſiderare, quæ coitum ſint *ſubſecuta* (α) odii an amoris ſigna, (β) diſcurſus de præmio an de accuſatione, (γ) querelæ, clamor, eiulatus an taciturnitas ſine ratione * ſeruata *k*)? Ii qui ex ſubſecuta conceptione, ſtuprum ui non eſſe commiſſum, colligere uolunt *l*), me quidem iudice, ſæpe fallunt & falluntur.

 * Sin

*i*) LEYSER *ſp.* 609. *m.* 3. LEYSER d. *de ſtupro uiol.* nr. 3.

*k*) CARPZOV *pr. crim.* qu. 75. nr. 87.

*l*) BERLICH *p.* V. *concl.* 41. nr. 74.

Landesbibliothek Oldenburg

* Sin femina honeſta, in loco remoto ab homine nullius frugi, eoque fugitiuo, uim paſſa tacuit, ne ſe ſubiiciat ſiniſtro hominum iudicio, aut amittat conditionem nubendi: iudex illius dicta ſuperhabere nequit. KRESS ad art. 119. §. 6. nr. 2. CLASEN ad eund. artic. CARPZOV *pr. crim.* qu. 75. nr. 87. LEYSER c. d. nr. 4. 5.

## §. LXXXVIII.

Actuarii officium.

*Actuarii* eſt, prolixe notare (1) *cauſam inquiſitionis* u. c. denunciationis diem & circumſtantias, denuntiantis geſtus, uerba, nomen* & perſonam, (2) *corpus delicti*, ſpeciatim quo modo, loco & tempore, per quem & ſub quibus circumſtantiis illud inueſtigatum fuerit. Poſteriori annotationi ſubſcriptione ſua fidem dant ſcabini, qui actui interfuerunt (§. XXXII.*).

* Quandoque tamen denuntiantis nomen poſt defenſionem demum a reo ſuſceptam exprimitur, ut colluſiones & perſuaſiones fraudulentæ euitentur. MYLIVS ad BEYERVM art. 62. poſ. 42.

# *TIT. VII.*
# DE
# INVESTIGANDO AVCTORE DELICTI.

## §. LXXXIX.

Iudex auctorem delicti inueſtigaturus 1) rogat teſtes,

Iudex cognito delicti corpore (§. LXXVI. ſeq.) illius auctorem quærere debet, (1) *examinando teſtes*, ſpeciatim (a) læſum, huiusque conſanguineos, (b) eos, qui-

Landesbibliothek Oldenburg